

7753

✠

Mundragon

✠


Nos, D. D. Carmelus Ballester Nieto,
Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Victoriensis.
ejusque nomine infrascriptus Vicarius Generalis.

Dilecto Nobis in Christo Dno. Joseph M^o Arizmendi-etrieta Madariaga,
último ex quinquennialibus examine præmisso salutem in
Domino sempiternam. Maxima vitæ ac morum integritate, singulari prudentia, ac scientia rerum divinarum con-
gruenti præditos esse oportet, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum ministrandum deputandi sunt. Cumque te hisce
dotibus satis ornatum non immerito iudicemus, idcirco, tenore præsentium facultatem tibi impertimur, ad tempus
ANNORUM QUATUOR

duraturam, ut in Diœcesi nostra absque præiudicio iuris parœcialis, Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare,
fidelium confessiones audire, omnesque pœnitentes rite dispositos a quibuslibet peccatis et censuris absolvere va-
leas, exceptis iis quæ Sedi Apostolicæ aut Nobis, tan iure quam decreto diœcesano sunt vel fuerint reservata.
Excludimus tamen Sanctimonialium confessiones, nisi specialem iurisdictionem a iure vel a Nobis pro eisdem
acceperis. Te autem in Domino enixe hortamur; ut ad tantum munus rite obeundum, ea qua decet modestia ac
puritate accedas, studio moralis theologiæ prævie atque indefesse incumbas, et quæ ad rectam Sacramenti Pœni-
tentiæ administrationem a sacris Canonibus sancita sunt accurate observes; Constitutiones Apostolicas, præsertim
Benedicti XIV, adversus sollicitantes ad turpia, absolventes complicem in re venerea necnon sacramentalis sigilli
violatores, præ oculis habeas. Utaris ergo, quaesumus, hac potestate ad ædificationem, non ad destructionem;
quod si quid arduum inveneris, in cuius solutione sis anceps, caute sapientiores te consulas, absolutionem interim
differendo. Monstra te amatissimum patrem, iudicem et magistrum; magna cum sollicitudine et patientissima
caritate pœnitentes omnes complectens, eos præsertim quos dubie dispositos noveris ad Sacramentum accedere
Severe insuper prohibemus, ob tanti Sacramenti venerationem ne in privatis domibus vel Oratoriis illud admi-
nistres, nisi gravis postulet necessitas congruisque cautelis adhibitis.

Demum, te solleter admonitum esse volumus ut in Sacrosancti Sacrificii celebratione omnes et singulas
rubricas Missalis Romani reverenter ac devote observes, præscriptum tempus nunquam tertia horæ parte inferius
impendas; conscientia puritate et præmissa oratione ad altare accedas, debitasque gratiarum actiones postquam
ab altari recesseris Christo Domino referas.

Datis Victoriae, die vigesimo sexta mensis junii
anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo. Valeant etiam ad verbum
Dei prædicandum juxta Normas a S.C. Consistoriali die 1^o julii
anno 1928 editas.



Joseph M. Arizmendi-etrieta
De mandato Ill^{mo}. Vicarii Generalis.

Francisco Romales
XXXXXXXXXX
XXXXXXXXXX

Licentia ad Missam celebrandam et confessiones
audiendas necnon ad verbum Dei prædicandum.

Reg. Lib. curr. fol. 30 num.

